

no 85

NICOLAI

CAVSSINI

TRECENSIS, E

SOCIETATE IESV,

DE ELOQVENTIA

SACRA ET HVMANA,

LIBRI XVI

EDITIO TERTIA, NON

ignobili accessione locupletata.

CVM ACCURATIS INDICIBVS, TAM EORVM

qua vnoquoque Capite continentur, quam Rerum &

Verborum.

Num. 31. Cap. . . 8. num. 21

Hon. Sarr

J. Kinchii



CORONIAE AGRIPPINAE.

Sumptibus IOANNIS KINCHII, sub
Monocerote.

ANNO MDCXXXIIII.



LVDOVICO XIII.
FRANCORVM ET
NAVARRORVM REGI
CHRISTIANISSIMO.



LOQUENTIAM tibi Rex CHRISTIANISSIME, apparatusis Græcorum Latinorumque munditijs excultam, ad sacrarium tuæ Maiestatis sisto, Reginam *Flexanimam* REGI potentissimo; prædicationem beneficij DOMINO munificentissimo; PARENTI verò optimo æternum obseruantiaæ monumentum.

Si spectatur operis argumentum, satis habet commendationis: si ratio offerendi, multum habet officiosæ necessitatis. Conceptum est enim in ipsis Flexiensis Academiae spatijs, in proprio tui PARENTIS FELICIS solo, & Regiæ illius pueritiæ cunabulis, ubi eloquentiam per annos aliquot sum professus. Nunc autem, emergit Luteitiæ in tuorum arce regnorum, in quam urbem, ad eadem rei literariæ curricula, iam quasi *διαλοδρόμου* euocor. Inchoatus est, ut vides, hic liber in tuo, de tuo creuit, nascitur in tuo: ubique occurrit tibi, nec minus Maiestatem tuam latere potest quàm Solem.

Verùm etsi me verecundiæ leges, aut occultari iuberent, aut silere; Tamen faciliùs in ore flammam opprimi posse crederem, quàm in grato animo recordationem beneficij. Tua sunt, REX OPTIME, in hanc Societatem promerita, ut infantes etiam facere possint Oratores. Tu enim perinde ac si hæreditarium illud munus haberes ab augustissimo PARENTE tuo, ut nos diligeres, statim regali animo hanc Societatem complexus es, ut idem penè tibi videatur fuisse exordium nascendi, quod fuit principium de nobis benè merendi.

Nunc verò & postquam illud nostrum Parisiense Collegium,

O P E R I S I N S T I T V T V M.



Non fuit hoc meum consilium, post tot Rhetoricas præceptiones, tot locis, & manibus sparsas, malè recoctam (quod aiunt) *cramben* fastidioso præsertim huius seculi palato obijcere. Quinimò, huius operis institutum est, quicquid in sacra humanaque Eloquentia spectabile, illustri loco ponere, & variorum ingeniorum sæculorumque virtutes, in vnum veluti perfectionis corpus includere.

Quod autem attinet ad præcepta, non minutias quasdam puerilis eruditionis sum consecutus, sed grauiorem eloquentiæ speciem ex præstantissimorum Rhetorum, maximè Græcorum, qui modò rariores sunt, iudicijs & sensibus exprimere conatus sum: Deinde apparatusissimam ex Græcis Latinisque fontibus exemplorum copiam Παράλληλων attuli, & vbi res postulabat, nostra interpretatione, notisque illustraui.

Asperli quoque mediocriter, prout argumentorum conditio ferebat, veterum eruditionem; & rationem eam dicendi tenui, quæ neque nimis spissa esset, aut producta; neque tenuis & inornata; vt interdum præceptorum austeritas eloquentiæ veluti succo perfusa mitesceret.

Præterea pigmenta quædam eloquentiæ, qualia sunt Hieroglyphica, symbola, parabolæ historicæ, emblemata, separato libro edidi, qui iam *feliciter* aliis prodijt in lucem.

Hæc ego, Deo auspice, iuuentutis studijs consulens, ne ἀπόμειλον ex hac literaria prouincia, quam iam per multos annos obtineo, discederem, quæ tu, Lector, pro tuo candore, beneuolo animo accipies: si qui autem fuerint (quod non est desperandum) liuidorum oculi, meminerint, ἴσον μοῦνον ἴσαι, ἢ μπεῖδον tum, pueriliter infelicis, & male feriatum ingenij esse, famam alienam cum obscurate honestè non possit, per inuidiam allattare.

A P P R O B A T I O.

STEPHANVS CHARLETVS, *Provincialis Societatis IESV in Prouincia Francia, potestate ad id mihi facta ab admodum R. P. N. Præposito Generali MVTIO VITELLESKO, Facultatem concedo, vt P. NICOLAI CAUSSINI de Societate IESV Sacerdotis, de Sacræ & humanæ Eloquentiæ Parallelis libri, eruditorum ex eadem Societate nostra virorum iudicio, typis excudantur.*

STEPHANVS CHARLETVS.

Datum Flexia 19. Nouembris, 1617.



DE VETERI
ELOQVENTIA
LIBER PRIMVS.

DE OPTIMO GENERE ELOQVENTIAE, ET
huius Operis instituto.

P R A E F A T I O.



NOLEVI nonnullorum
mentibus nimis iniqua for-
tasse, sed quæ à viris nõ vul-
gariter eruditis defensa est
perpugnaciter opinio, elo-
quentiæ naturæ, atque inge-
nij viribus totam potius ef-
feruere, quàm vllis artium

præceptionibus contineri. Enimverò fateri o-
porter multum in cæteris, in eloquentia verò
plurimum valere præstantis ingenij felicitatem,
assidua præsertim exercitatione corroboratam,
sed eam sine artis, & disciplinæ perpolitio-
ne, necesse est impingere in frequentissimos errores
temeritatis: Neque enim existimandum est ar-
tium vel minimarum præcepta quædam exte-
re eloquentiæ, quæ vna cæterarum Regina est
disciplinarum, tanta temporum diuturnitate,
clarissimorumque ingeniorum luce celebrata,
observationes nullas esse, quibus in dicendo vis,
ordo, & facilitas recta quadam ratione compa-
rari, tenerique possit: Nisi fortè ineptos fuisse
iudicemus, prudentis omnino iudicij, atque ac-
ceritimi ingenij viros Aristotelem, Demetrium,
Fabium, qui de tota eloquentiæ ratione tam lu-
culenter disseruerunt, quod profecto nunquam
fecissent, si eam nullis præceptis contineri exi-
stimassent.

Quanquam, vt liberè fatear, multum huic in-
stituto nocuit imperitorum scriptorum, qui se

Rhetoricos Doctores appellari voluerunt, mul-
titudine, postquam enim grandis eloquentiæ de-
stituti viribus, minutias quasque putidiusculè
discutere cœperunt, omnia libris, & puerilibus
nugis referere.

Longè mihi alia meus est, in huius operis
molitione, statui enim omnis veteribus scho-
larum cantilenis, accurata illustrium authorũ
de optimo genere dicendi iudicia, totamq; elo-
quentiæ rationem clarissimis Græcorum, Lati-
norumque exemplorum monumentis locuple-
tatam ob oculos ponere, quo ex omnibus inge-
nijs, sæculisque collecta perfectio, atque in v-
num quoddam corpus transfusa, gratior mana-
ret in publicum.

Atque in vniuersum, dicam quæ posthac ex-
plicatiùs à me, nitidiusque tradenda sunt, mihi
in tria fermè genera, tota primum eloquentia
diuidenda est, quo sit huius instituti magis de-
clarata ratio.

Prima igitur eloquentia diuina est, non illa
quidem quæ sita è schola, sed Dei præpotentis
incitata spiritu, qui solus vel infantissimos quos-
que facit oratores.

Hæc est verè sublimis eloquentiæ facultas, cu-
ius vt origo cælestis est, ita omninò admirabi-
les, & planè autem factus extiterunt: hæc non ver-
borũ flosculis, delicatis auribus lenocinata, sed
intimis sensibus cælesti quodã ardore succensis,
homines sibi subiecit, hæc Reges domuit, hæc

colorũ præ-
ceptorum
incondita
multitudo.

Operis in-
stitutum.

Triplex elo-
quentia.

Diuina elo-
quentia ma-
gnas.

Eloquentiæ
non, la-
natuza con-
fert.

Multũ ob-
est eloquen-
tia minus-